

**Dissertatio inauguralis medica de metastasi lactis ... / publice defendet
Joannes Christianus Williardts.**

Contributors

Williardts, Johann Christian.
Jaeger, Christian Friedrich, 1739-1808.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Jo. Ad. Sigmundi, [1770]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kk3hcy87>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

METASTASI LACTIS,

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS

EBERHARDINO-CAROLINAE

MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO ATQUE *POTENTISSIMO* DOMINO,

DVCE WURTEMBERGIAE ET TĒCCIAE REGNANTE,

REL. REL.

CAROLO,

PRINCIPE AC DOMINO LONGE CLEMENTISSIMO,

PRAESIDE

CHRISTIANO FRIDERICO
JAEGER,

PHILOS. ET MED. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. P. O.

FACULT. MEDIC. p. t. DECANO,

PRO GRADV DOCTORIS LEGITIME OBTINENDO,

D. DEC. MDCCLXX.

PVBlice DEFENDET

JOANNES CHRISTIANVS WILLIARDTS,

ESSLINGENSIS.

TVBINGÆ, LITTERIS JO. AD. SIGMVNDI.

METASTASI LACTIS.

REGIUM MILITARIUM
FUSILLARUM CAROLINAE
MAJESTATISSIMO.

CHAROLO.

CHRISTIANO FRIDERICO

JAEGER.

PRO GRADU DOCTORIS LEGITIME OBTINENDO.

ANNO MDCCCLXX.

PARTIS ORTHODOXAE

JOANNES CHRISTIANUS WILLIARDUS

ASSISTENS

WILLIAMUS CHRISTIANUS JOHANNES SIGMUNDUS



§. I.

Lac, blandissimus humor & tenello fœtui nutriendo à natura destinatus, hinc inde tamen varios morbos producere observatur; quales cum & mihi sese obtulerint, rogatus morbos à lacte & dictos & oriundos non quidem ad unum omnes, sed eos potissimum, qui sub nomine Metastaseos lactis materni comprehendi possunt & solent, eo magis mecum exponere & dilucidare decrevi, cum animadverterem, hos eosdem morbos in usitatoribus Germanorum Medicorum libris minus obvios & pertractatos esse; quos contra Galli tantum non tanquam novos frequentius & prolixius nominent atque describant.

§. II.

FR. BOISSIER de SAUVAGES in Nosologia methodica 1763 edita, quam plurimas, sæpe non satis à se invicem distinctas, morborum species, sub variis classibus comprehensas, adducit, quas à lacte nominavit vel novis nominibus adhibitis *a*) vel addito quoque epitheto. Desumpsit autem SAUVAGESIUS hanc morborum ita dictorum lacteorum historiam præcipue ex PUZOSIO & ex LEVRETO. Primus scilicet PUZOSIUS Dissertationem

A 2

nem

a) v. g. Galactorrhœa. Oedema lacteum. Ephemera lactea, Synochus lactea, Amphimerina lactea. Mastodynia lactea &c,



nem de Metastasi lactea concinnavit, quæ Actis Chirurgicis Parisinis destinata post ejus mortem demum correctior & in tres partes divisa à MORISOT DESLANDES una cum ejus arte obstetricia edita fuit *b*). Hinc Galli ad hunc eundem Puzos, qui studio in hos morbos inquisivit, primam morborum lacteorum historiam referunt *c*). Puzosii vestigia in observandis & describendis morbis à lacte deducendis pressit LEVRETUS, qui suæ Arti obstetriciæ *d*) passim observationes & explicationes de his morbis inseruit. Celeberrimus ASTRUCIUS septem voluminibus *e*) morbos sexus sequioris expositos dedit atque in Tomo V. singulare quoque capitulum p. 450. Metastasi lacteæ destinavit. Neque nuper Cl. QUESNAY in suo de Gangræna tractatu Metastaseos

b) *Traité des accouchemens*, contenant des observations importantes sur la Pratique de cet Art; deux petits traités, l'un, sur quelques maladies de matrice, & l'autre, sur les maladies des enfans du premier age. Quatre memoires, dont le premier a pour objet les pertes de sang dans les femmes grosses, & les trois autres sur les dépôts laiteux. Par Mr. Puzos, Corrigé & publié par Mr. MORISOT DESLANDES, à Paris, 1759.

c) vid. FR. BOISSIER de SAUVAGES *Nofol. method.* T. II. P. I. p. 469. & MORISOT DESLANDES in Præfatione ad Puzosii *Traité des accouchemens* p. XIV & XV.

d) *l'Art des Accouchemens*, démontré par des principes de Physique & de Méchanique. Par Mr. ANDRÉ LEVRET. Vtor in sequentibus citationibus editione tertia. à Paris, 1766. Quamvis prima LEVRETI Editio jam A. 1753. prodierit; non ideo tamen inferendum, LEVRETVM Puzosii libro, 1759 demum edito, nondum uti potuisse; nam Puzosius dudum ante de his morbis Academiæ Chirurgorum Parisinæ, cujus membrum quoque LEVRETUS est, Dissertationem exhibuit; quin A. 1753, quo LEVRETI liber prima vice imprimebatur, Puzosius jam mortuus est. vid. *Eloge de Mr. Puzos* in *Histoire de l'Academie Royale de Chirurgie.* T. III. p. 121. seq. 1757.

e) *Traité des maladies des femmes.* Quatuor priores Tomi Parisiis Anno 1761, tres posteriores A. 1765 typis excusi sunt.



eos lactis mentionem facere neglexit *f*). Cum Societas Scientiarum Harlemensis quæstionem, annis 1761 & 1762 solvendam, proponeret, *qua ratione lac feminarum augendum vel minuendum sit, quanam sint Symptomata à lacte oriunda, & quomodo iis subveniendum sit?* duo præcipue scripta prodierunt; alterum brevius, præmio coronatum & ab auctore DAVID adornatum *g*); alterum prolixius à Cl. LAMBERTO BIKKER, Medico Roterodamo *h*) conscriptum, in quo utroque libro non potuit non sermo de Metastasi lactis fieri. Hanc ipsam metastasin sat dignam quoque existimavit Illustrissimus v. SWIETEN, quam suis Commentariis inferret, hinc, cum Tomo IV. anno 1764 edito, de morbis puerperii ageret, usus est quam maxime LEVRETI observationibus, easque propria experientia partim confirmavit, partim cum aliorum observatis comparavit *i*).

Hi præcipui recentiores auctores *k*) sunt, qui de Metastasi lactea ab antiquioribus fere neglecta aliquid notatu dignum tradiderunt, cum

A 3

apud

f) Traité de la Gangréne. à Paris, 1764. p. 72. seqq.

g) Dissertation sur ce qu'il convient faire pour diminuer ou supprimer le lait des femmes &c. Ouvrage couronné par la Société Hollandoise des Sciences. Par Mr. DAVID. à Paris, 1763.

h) Verhandeling van het zog der Vrouwen opgesteld door LAMBERTUS BIKKER. Te Leyden, 1763.

i) Comment. T. IV. ad §. 1329. p. 603 seqq.

k) Celeberr. TISSOTUS non plenarie metastasin lactis tacet; sed pro instituti sui ratione tantummodo verbulo tangit. §. 374 *Anleitung für das Landvolk in Absicht auf seine Gesundheit.* Cl. Professore GATTENHOF in Dissertatione laudatissima de Curis infantum physico-medice de metastasi lactea agere ex Cel. BALDINGERO disco. vid. *Auszüge aus den neuesten Dissertationen.* p. 124. seq. Sed neque hanc Dissertationem, neque alias, quæ forsitan existant, hactenus obtinere potui. Recentissimi



apud alios vix aliud quid occurrat, quam hinc inde separata observatio lactis per alienas extraordinarias vias excreti; neque in STORCHII *h)* octo Tomis præter unam alteramve observationem lactis ab ordinariis viis aberrantis, aliquid, huc spectans, deprehendi, cum tamen quis in tam vasto libro, mulierum morbis describendis destinato, hanc ipsam materiam magis dilucidatam exspectaret.

Attamen jam ante PUZOSIUM video TH. WILLISIUM in Tractatu de Febribus *h)* egregia quædam, huc facientia, habere, ipsiusque Caput decimum sextum congruis observationibus dives esse; quin licet forsitan HIPPOCRATIS quoque locum huc trahere, ex quo ipsi non omnem lactis metastasin plenarie incognitam fuisse colligere possis: „*Mulieres*, inquit, *m)* quibus per morbum vel aliam calamitatem mamma aufertur, & vox fera efficitur, humoresque ad gulam deferuntur, multa sputatione vexantur, caput dolent & ex iis agrotant; lac enim ab utero veniens & influens, quemadmodum etiam antea ad superiora vasa transmittebatur, cum ea propria non habeat, in principes corporis partes incidit; cor videlicet ac pulmonem, & suffocantur.“

§. III.

Prælibatis hisce historicis quædam physiologica de secretionem & excretionem lactis non plane silentio præterire possum; uti enim rectum norma obliqui est, sic quoque de statu præternaturali non potest iudicium fieri, nisi ante cognoscatur, quid secundum naturam fiat.

Lac;

me quoque Ill. LUDWIG passim metastaseos lactæ meminit, sed tantummodo in transitu, videturque hanc ipsam materiam pro nondum satis cognita vel exculta habere. vid. *Advers. Medico-Practica* Vol. I. P. I, in præf. p. 12. P. IV. p. 585. p. 728.

h) von Krankheiten der Weiber.

l) Opera omnia T. I. Tract. de febribus. C. XVI. p. 124-137. Amst. 1682.

m) de Glandulis. Edit. Foef, p. 273.



Lac, consentientibus optimis Physiologis, ex chylo suam originem trahit, neque ab eo differt, nisi quod lac spissius sit, partes caseosas ubertim contineat & tardius acefcat; quæ ipsæ qualitates chylo communicari videntur, dum cum sanguine per sex pluresve horas circuitum subit, atque ita actionem viscerum vasorumque experitur. Hic chylus vel successive sanguini assimilatur, vel secernitur & ipsum istum liquorem, quem Lac vocamus, constituit.

§. IV.

Secernitur lac ordinario in feminis, iisque vel gravidis vel foetum enixis. Scilicet feminæ humanæ, legitimum corporis incrementum quoad maximam partem nactæ, sanguis menstruus fluere solet, quo à superfluo sanguine per vasa uteri facile exitum inveniente liberatur ⁿ). Hic fluxus sanguineus contra intercipitur, vel saltim proxima menstruationis periodo redeunte parcius est, quotiescunque femina utero concepit; cujus phaenomeni duplex ratio esse videtur. Primo enim vasa uteri tortuosa & serpentina sub graviditate, crescente uteri volumine, magis rectilinea fiunt, atque ita sanguini facilius transitus ex arteriis in venas conceditur; cum contra extra graviditatem uterus in multo minus volumen contractus vasa habeat magis serpentina, multas quasi plicas sive angulos formantia, quibus sanguini necessario mora injicitur, qui dein in his ipsis vasis accumulatus vasa minoris diametri, aliàs globulos rubros excludentia distendit, atque per ea, sub nomine menstruorum, prorumpit ^o). Altera primaria causa est, quod chorion, & quam maxime placenta, adhæreat, ita, ut vasa chorii & placenta vasis uterinis implantentur, quo ipso nexu foetui nutrimentum adfertur, in quod ista
mater-

ⁿ) Ill. de HALLER Primæ Linæ. §. 840.

^o) DAVID, l. c. p. 6.



maternorum humorum abundantia, ante graviditatem per menstruum fluxum excernenda, convertitur. Suadent autem variæ rationes, non tam ipsum sanguinem ex vasis uterinis ad fœtum mitti, quam potius lymphatico-lacteum humorem, à radiculis venæ umbilicalis resorbendum. Videtur enim lacteus humor tenello embryoni nutriendo magis conveniens esse *p)*, & dein ROEDERERI *q)* & MONROI *r)* experimenta, quibus studio in conjunctionem uteri cum placenta inquisiverunt, docent, non ipsum sanguinem ad placentam, funiculum & fœtum mitti, sed succum tenuiorem minoribus vasculis vehendum ad fœtum deferri. Quamvis equidem non omnem sanguini materno in ipsum fœtum transitum denegem, convictus maxime summi Anatomici ALBINI observatione *s)*, qui ex arteriis uteri serpentinis sanguinem in placentam adigere potuit; & dein pulcherrimo Ill. MECKELII præparato, qui materia colorata uterum gravidum per vasâ matris hypogastrica mihi ita repletum Berolini ostendit, ut ex eo in placentam, cum utero connexam, venam umbilicalem, & ipsum quoque fœtum ruber injectus liquor transiret. Quod autem lacteus humor per uteri lactea aut lymphatico-lactea vasâ ad placentam perveniat, docent præcipue NORTWYCKII *t)*, WINSLOWII *u)*, ASTRUCII *x)* observationes. Poterimus

p) Facit huc HIPPOCRATIS Locus de Natur. pueri. Edit. Foef. citat. p. 246.

“Quod in sanguine dulcissimum est, ad se attrahit, (puer in utero) simulque aliquantula lactis portione fruitur.”

q) ROEDERER de utero gravido p. 25. conf. Ejusd. Diss. de vi imaginationis in fetum negata. In Opusc. Med. p. 108.

r) Alexander MONRO *Versuch über die Ernährung der Leibesfrüchte in denen Edenb. Versuch.* T. II. p. 170. p. 185.

s) Annotation. Acad. L. I. C. X. p. 35.

t) Uter. hum. grav. hist. p. 10.

u) Expos. anat. Traité du bas-ventre. Nro. 623.

x) Traité des maladies des femmes. T. I. p. 12. “On trouve sous la même



mus itaque cum v. SWIETENIO y), cum WILLISIO z) aliisque a) lac uterinum assumere, quo foetus nutritur & plethora feminarum sine fluxu menstruo imminuitur.

§. V.

Sed plerumque quoque lac in gravidarum mammis circa medium gestationis tempus vel citius vel tardius generatur, quamvis magis tenue & quasi serosum esse solet. Videtur enim non omnis maternorum humorum abundantia pro nutriendo foetu requiri; hinc pars materiae lacteae, praesertim in plethorica & bene pasta femina, ad mammas deferatur, quae singularem analogiam consensumque cum utero habere observantur. Sin vero foetus utero exclusus est, jam insigniores muta-

tiones

me tunique interne de la matrice une autre sorte des vaisseaux, qu'on ne scauroit distinguer que dans les derniers mois de la grossesse, non plus que les appendices veineuses, mais qu'on peut voir alors assés aisément & à l'oeil. On n'a qu'a retourner de dedans en-dehors la matrice d'une femme morte dans le dernier mois de sa grossesse, ou morte en accouchant, & après l'avoir légèrement essuyée dans les endroits où le placenta ne tenoit pas, & où la tunique interne est assés unie, l'exprimer doucement en comprimant par dessous, on en verra suinter une infinité de gouttes d'une liqueur laiteuse par des trous ou pores presque imperceptibles, qui doivent être autant d'aboutissans des vaisseaux particuliers destinés à séparer cette humeur.

y) Comment. T. IV. p. 60.

z) l. c. in initio Capitis XVI. WILLISIVS expresse lactis in utero generati mentionem facit.

a) Joh. BOHNII Circul. anat. physiol. progymn. II. p. 27. MERKLIN de Transfus. sanguin. C. 5. p. 61. SIDOBRE in Actis Erudit. 1703. mense Sept. p. 412. CHARLETON Oeconom. animal. Exerc. I. §. 9. p. 12. Nec tacendus est Celeberrimus quondam in hac Vniversitate Professor Elias CAMERARIUS nobiscum consentiens in Med. Conciliatr. C. 4. p. 118.



tiones contingunt. Uterus scilicet, cujus vasa sanguifera sub finem graviditatis majorem diametrum adeptam & multo sanguine repleta fuerant, post partum se sua plethora particulari lochiorum fluxu exonerat, atque sat cito in minus volumen contrahitur, hinc vasa, lacteam materiam vehementia, simul constringuntur, neque ei amplius exitum concedunt. Regurgitat itaque lactis materia fœtui intra uterum latenti ante destinata in sanguinem, cum eo in corpore circumagitur *b)*, plerumque non sine febrili exinde oriundo motu, donec tandem in mammam, aptissimum & conveniens organum deponitur, intra singulares ductus lactiferos recipitur atque per eorum ostia, in papilla sese aperientia, excernitur *c)*.

§. VI.

Quamvis ex hæcenus dictis appareat, dari & lac uterinum & mammarium, & utrumque morbos à lacte dicendos creare posse: atamen in sequentibus potissimum ad lac mammarium, nisi expressis verbis monuero, respicio, quippe quod quam maxime attentionem meretur. Hoc ipsum lac vario modo œconomiam animale turbare, variisque morbis occasionem præbere potest, dum 1) ejus secretio vel 2) excretio impeditur. Potest idem porro peccare vel 3) quantitate, atque eatenus vel plenarie deficere, vel nimis parcum vel nimis abundans adesse, vel 4) vitiosa particularum cohærentia *d)*, hinc nimis spissum aut nimis tenue esse, vel 5) acrimonia, vel 6) nimis facili particularum secessione, ideoque coagulari sive (uti vocant) thrombosi vel caseationi adhuc

b) Hinc sanguini, durante febris lactea misso, lac supernatare vidit BARTHOLINVS. de Lacte thorac. p. 39.

c) Hæc conferri meretur Cl. KÖLPIN Schediasma de structura mammarum. Berol. 1765. cui figura addita est tubulos lactiferos præcipue & vasa lymphatica pulchre exhibens.

d) Gaub. Pathol. Instit. de morbis cohærentiæ in fluidis. §. 282, 286.



adhucdum intra mammas obnoxium esse, vel denique 7) loci aberratione.

§. VII.

Non immorabor singulis hisce lactis vitiis e), longiore explicacione dilucidandis, sed, uti jam antea innui, soli ultimo nominato inhærebo, lac loco aberrans consideraturus. *Habent scilicet humores corporis nostri suos sibi à natura constitutos canales, loculos, receptacula, cava, quibus tanquam cancellis contineri vehique debent, nec sine noxa egredi possunt f).* Quando itaque lac è sanguine secedens, secretionem & excretionem naturali impedita, non suo, sed alieno, loco est; aberrat, & hunc ipsum morbosum statum *Metastasin seu decubitum nuncupo g).* Sic nomine metastaseos idem comprehendo, quod Illustr. GAVBIUS de fluidis loco aberrantibus nervosâ brevitate agens, errore impactorum, excretorum & effusorum indigitavit h), existimoque, me termino *Metastaseos* latiore sensu usum eo minus vituperandum esse, cum alii i) sub hac ipsa voce *apostases, metaptoses, aposcemata, metabolas, palindromas* complectantur, neque hos terminos nimis minutim à se invicem distinguant.

B 2

Quod

e) Hæc tamen vitia subinde in sequentibus nominabuntur, quatenus causa metastaseos lacteæ sunt.

f) GAVBIUS l. c. §. 397.

g) Eodem vocabulo utuntur v. SWIETEN & WILLISIVS ll. cc. Commentarii Lipsi. Vol. XIV. p. 356. ASTRUCII librum recensentes, *depôts de lait, lait repandu*, per *metastasin* reddunt.

h) l. c. §. 400. §. 401. §. 402. Cur errorem secretorum, quamvis lac ad secreta humores pertineat, non nomen ex GAVBII §. 405. per se patet; non enim est alia species erroris loci, sed est tantummodo alius respectus.

i) vid. Dissert. de febrilibus metastasibus Auct. LOHR. Præs. Cel. SCHROEDER. Gœtting. 1769. & BRENDELII Dissert. de Abscessibus per materiam & ad nervos. §. 2. & 14.



Quod nos metastasin lacteam vocamus, occurrit apud scriptores Gallos sub nominibus *Dépôts laitoux, Lait repandu, Epanchement laitoux, Infiltration, Engorgement, Revolutions laitouses*. Germani hisce nominibus utuntur: *Geschwulst von einer Milch-Versezung k)*. *Milch-Sammungen l)*. *Milch-Geschwulst m)*. *Zurücktreten der Milch n)*. *Krankheit von Milch-Versezung*. Batavi lactis metastasin reddunt per *Zogverplaatjing o)*.

§. VIII.

Lactis metastasibus solus sequior sexus ob munia ipsi injuncta priva obnoxius est, nec parum huc confert, quod feminæ sua natura sensibiliores irritabilioresque sint, atque suam plerumque habeant idiosyncrasiam, toties magis conspicuam in graviditate, puerperio, lactatione, ablactatione.

Ostendam primo gravidas feminas ab ipso hoc morbo non esse immunes, quod quidem vel exinde suspiceris, cum lacte & uterino & mammario gaudeant. (§. IV. & §. V.) Sed hoc idem distinctius per observationes demonstrandum erit. Puzos, qui sibi fere sumit, quod primus metastasin lactis in gravidis animadverterit, (aliis vel possibilitatem tempore graviditatis negantibus) in duabus gravidis, altera foetum septimestrem, altera quadrimestrem gestante, ad superiorem femoris partem dolorem cum tumore observavit, quem à lacte loco aberrante in utraque hac femina deducendum esse cognovit; æque ac in alia

k) Illustr. VOGEL *Neue Med. Bibl. VI. B.* p. 471.

l) In translatione germanica STEINWEHRII *Actorum Parisinorum. T. VII.* p. 197.

m) in Versione germanica TISSOTI *Anleitung für das Landvolk. §. 374.*

n) Uti metastasis lochiorum redditur per *Zurücktreten der Reinigung.* Celeb. BALDINGER *Auszüge.* p. 156.

o) BIKKER *l. c.* p. 171.



alia quadam, cui in regione hypochondriaca natus tumor dolebat *p*). Quin alio quoque loco *q*) mentionem facit gravidæ, quæ suscepto terrore ægrotare cœpit, paulo post peperit, & quarto à partu die mortua est, in cujus abdomine lac effusum coagulatumque repertum non dubitat metastasi sub terrore ortæ tribuere, quamvis quis omnino eandem metastasin post partum demum factam esse contendere possit. Gravidis pariter Celeb. SAUVAGES, quamvis rarius, œdema lacteum *r*), pleuritidem lacteam, metritidem lacteam accidere asserit, neque dissentit LEVRETUS *s*) vel BIKKERUS *t*).

§. IX.

Frequentius edito in lucem foetu feminæ metastasi lacteæ obnoxia sunt, nec mirum, cum post partum lac multo copiosius generetur, atque tunc teste Ill. v. SWIETEN *u*) *multo facilius ejusdem secessus à Sanguine fit.* Metum auget ipsa ista febris lactea secundo, tertio quartove die post partum oriri solita. Quodsi enim lac cum sanguine circulans non per viam ordinariam, mammas scilicet, excernitur, facile accidere potest, ut lac vel alienis locis effluat, vel in vasculis minimis impactum hæreat vel in interstitia & cava aliarum partium effundatur, & sic sub ipsis istis febrilibus motibus metastasis, criseos ad instar, contingat, uti centies in aliis morbis febrilibus observamus. Intelligitur ex his ipsis, periculo metastaseos eas puerperas magis exponi, quas male sanus formositas nimisque commodæ vitæ amor ad ubera recens nato dene-ganda incitat. Etenim, si tunc lac ex naturæ lege ad mammas dela-

B 3

tum

p) l. c. p. 382. 383. 384.

q) l. c. p. 372.

r) Nosologia methodica, T. III. P. II. p. 32. 460. 468.

s) l'Art des accouchemens §. 1050.

t) l. c. p. 179.

u) l. c. p. 610.



rum per varia artificia reprimunt, facile vel intra ipsas mammas impactum nocere, vel in sanguinem regurgitare atque ad alia loca morbose deponi potest, nisi bona fortuna alia ipsi ex corpore exeundi via pateat x). Hinc in oppidis populosis, ubi feminæ delicatulæ lactationem abhorrent & nihilominus laute viventes abundantia potius quam inopia lactis laborant, metastases lactis & ipsæ puerperarum mortes frequentiores sunt y). Sed est quoque, cur non in eis tantum feminis, quæ lac studio repellunt, sed & in iis, quibus ex variis causis lac deficit, vel nimis parcum est, de decubitu lactis solliciti simus z). Existimo tamen eas, quibus nulla febris lactea obtingit, rarissime, si unquam, periclitari. Vidi certe puerperas, è quarum mammis vix unam alteramve lactis guttam obtinere licebat, egregie valentes; sed in iis tunc nec mammarum intumescen-
 tiam nec febrem lacteam animadvertere poteram, & lochia copiosa fluebant. Sin vero febris lactea adfuit, mammæque intumuerunt, eæ au-
 tem

x) v. SWIETEN l. c. p. 609. "Per varias vias lac in mammis collectum, retropulsus in sanguinem, exire de corpore notaverunt autores. Omnium naturalissima via credebatur, si per uteri vasa sub lochiorum forma prodiret. Per urinam exivisse observatum fuit sæpius. Per alvum pariter, aliquando & per sudores."

y) LEVRET l. c. §. 1048. 1049. "*On observe en général, qu'il meurt proportion gardée beau coup plus des femmes en couché dans les villes que dans les Campagnes. — — Ces effets differens dependent essentiellement de ce, que les femmes n'allaitent point.*"

z) PVZOS. l. c. p. 385. Potest v. gr. lac vasa mammaria prætervehi, & nihilominus largius sanguini admixtum esse. Potest mammarum actio torpida esse. Possunt vasa lactis secretioni inservientia variis ex causis constricta, impervia esse. conf. v. SWIETEN T. VI. p. 645 & 646. Ill. GAUVIUS §. 833. Patet sic, quomodo, deficiente quoque intra mammas lacte, lactis tamen metastasis possibilis sit.

tem postea flaccescunt & lac deficit, tunc haud raro puerperis lactea metastasis metuenda infiat, quæ ex LEVRETI *a)* observatione plerumque decimo quinto vel ex PUZOSII *b)* sententia decimo duodecimo die infestare solet.

§. X.

Sed & ipsæ istæ feminæ, quæ, quod natura tenero recens edito alumno paravit in mammis, nutrimento eum haud defraudant, non ideo ab omni lactis ad aliena loca decubitu tutæ sunt. Jam sub initium prioris §phi innui generaliter, puerperas ad metastasin lactis dispositas esse. Præcavetur quidem eadem quodammodo, si per lactationem lac ad mammas determinatur & excernitur: verum pone majorem, quam quæ ab infante exsugitur, copiam lactis adesse; fac quosdam ductus tubulosve lacteos esse obstructos, partemque lactis ideo in sanguinem refluere; cogita alios morbos accedere, lac quomodocunque turbantes vitiantesque; & intelliges exinde, frequentiore quidem, sed tamen non omni omnino periculo lactantes puerperas carere. Post puerperium quoque lactantes, sive sint matres sive nutrices conductæ, metastasin lactis perpeffæ esse observatæ sunt *c)*. Quin nimis diu protracta lactatio ipsa topicam ad mammas lactis abundantiam producit, vires nutricis exhaurit, quæ nihilominus esuriens copiosos, non semper satis congruos, cibos appetit & chylum crudum generat; lac ipsum post aliquod a partu tempus successive magis spissum fit *d)*, atque sic in ipsis nutricibus causæ metastaseos habentur, quas tamen potius infra pluribus recen-

a) l. c. §. 922 — 925.

b) l. c. p. 345.

c) PUZOS. l. c. p. 347. seq.

d) ASTRUC. l. c. T. VI. p. 186. "*Il est certain, que le lait devient naturellement plus épais à mesure que les nourrices s'éloignent du terme de leurs couches.*"



recensere mecum constitui. Denique ablaçtantes feminæ, vel ob proli morrem lactare desinentes, non plane silentio prætereundæ sunt. Ob-
tinet fere in iis eadem ratio, quæ apud puerperas lac per varia artifi-
cia repellentes locum habet: hinc ablaçtantes sibi prospicere debent,
ut humorum abundantiam, cessante jam lactis per mammæ consueta ex-
cretionem, per alias evacuationes vel per parcius assumptos cibos dimi-
nuant.

Certe in ablaçtantibus feminis vario post partum tempore haud
adeo raro metastaseos lacteæ exempla dari, affirmat jure LEVRETUS *e*),
atque Perillus & Venerandus de HAEN nobis sat notabilem casum re-
fert feminæ, cujus abundans lac duobus infantibus sufficiebat, sed a
mammis, duobus a primi infantis partu annis, retropulsus metastati-
cum tumorem in dorso elevavit. *f*).

§. XI.

Vix operæ pretium erit, ut longiore sermone subiecta metastasi
lacteæ præ reliquis obnoxia ulterius prosequar. Possent v. g. heic ra-
tione ætatis feminæ annosiores & juniores in censum venire; posset
ratione temperamenti de iis dispici, quæ polyaimia vel anaimia, quæ
fibra rigida vel debili, corporisve habitu nimis laxo vel nimis stric-
to laborant, quæ majore minoreve irritabilitatis gradu gaudent *g*); pos-
set in dispositiones individuales, singulares, in varios status tam natu-
rales quam morbosos inquiri, atque eatenus de feminis hysteris,
nimis delicatulis, primiparis, præmature parientibus, difficulter pa-
rientibus, molas gestantibus, mammis carentibus, viraginibus &c. agi:
verum hæc omnia vel sponte per se intelliguntur, vel certe ex sequen-
tibus

e) l. c. §. 922. conf. PUZOS. p. 349.

f) Rat. Med. T. VII. p. 134. seqq.

g) conf. III, HALLER, Prim. Lin. §. CLI.



ribus mox adducendis facile elucescent; ne itaque repetitionibus vel nimia prolixitate Lectori tedium moveam, ad causas considerandas transeo, quæ feminas vel ad metastasin lacteam prædisponunt, vel ejus producendæ suppeditant occasionem.

§. XII.

Inter causas feminas ad metastasin lacteam prædisponentes primum se mihi offerunt mammarum vitia, tanquam organorum lactis secretioni & excretioni destinatorum. Si mammæ deficiunt, metastasin lactis jam ab HIPPOCRATE observatam & annotatam esse, supra §. II. monui. Sed quoque mammæ nimis parvæ, ad pectus quasi nimis appressæ, a thoracibus istis artificialibus, a tenera juventute formositatis gratia applicatis compressæ, per ætatem proveciorem constrictæ, nimia pinguedine obrutæ, h) violentia externa læsæ, inflammatæ, scirrhusæ, cancrusæ, exulceratæ, obstructæ, cicatricibus ex antecedentibus ulceribus vitiatæ, rigidæ, i) marcidæ, k) lactis secretionem & excretionem

h) Pulchra hæc est Ill. v. SWIETENII observatio, qui T. IV. p. 646. quandoque in feminis maximæ molis mammas, sed mera pinguedine obrutas vidit, ita, ut omnes ductus lactei, compressi ab adipe incumbente, ne guttulam quidem lactis admittere potuerint.

i) Si v. g. ductus lactei nimis expansioni resistunt. Hinc putem ipsas primiparas, in quibus hi ductus nondum satis ampliati esse possunt, a metastasi non esse immunes. (conf. ASTRUC. T. V. p. 431.) quamvis LEVRETUS l. c. §. 1050. rarissime primiparas metastasi obnoxias esse dicat. Huc quoque HIPPOCRATIS locus facit: *sunt, inquit, quæ natura lac non habent, & quibus lac ante tempus deficit; eæ vero natura solide sunt, & dense carnis; ideoque cum via densa sit, non a ventre ad mammas satis humoris defertur.*

k) Marcidæ, flaccidæ mammæ videntur nimis inertes, inactivæ esse ad lac per ductus lactiferos promovendum. Requiritur in vasis lactiferis



tionem impediunt, atque eo ipso lactis metastasin adjuvare possunt. Præterea Medici in causam non excreti lactis inquirentis attentionem papillæ merentur, per quarum supremum ambitum tubulorum lacteorum officia disponuntur. Possunt papillæ plerisque ante nominatis vitiis affici, præcipue autem ob subtilissimam superinductam cutem & ob frictionem, cui expositæ sunt, facillime excoriantur exulceranturque, atque ita ipsa ostiola coalescere possunt. Ipse numerus tubulorum lacteorum, qui variat, aliis auctoribus quinque, aliis viginti numerantibus *l*), nimis parvus esse potest, quam qui omni secreti lactis copiæ excernendæ sufficiat. In casta virgine, nondum marem experta, papilla quasi introrsum tracta delitescit; sed vitium est lactis excretionem vehementer impediens, nisi eadem, infante ad ubera admoto, promineat & erigatur, vi Physiologis adhucdum non explicata, (non tamen ideo neganda *m*) cum intus nullam cavernosam substantiam habeat, uti aliæ partes erectione gaudentes. Hoc nimis retractæ & delitescentis papillæ vitium efficit, ut haud raro aquosa tantum lactis pars effluat, crassior remaneat, tubulorumque ostia obstruat, hinc lac continuo secretum & ad mammas advectum, portam effluendi apertam non inveniens, vel in sanguinem regurgitat, vel mammam inflat, & cum dolore expandit; quem ipsum statum, vel si ex quacunque alia ratione obstructi tubuli lacti exitum denegant, cum accedente mammarum dolore, tumore, rubore, Galli *le Poil* (mastodyniam pilarem reddit SAUVAGESIUS *n*) vel *Arcrousfel*

irritabilitas quædam, qua sese contrahendo lac propellunt; hinc in bonis nutricibus cum vi quadam lac proflire videmus. A marcidis mammis hæc irritabilitas abesse & eo ipso in iis lactis stagnatio effici videtur.

l) Ill. HALLER. Elementa Physiol. T. VII. Lib. XXVIII. p. 9 & 10.

m) Uti negat KÖLFIN l. c. §. 12. p. 10.

n) SAUVAGES Nosol. meth. T. III, P. I. p. 103. T. II, P. I, p. 223. LEVRET.



sel vocant, ex antiquo, satis ridiculo, præjudicio, quod pili orificia obstruant. Denique papilla nimis tenera nimisque sensibilis esse potest, quam quæ attactum luctionemve prolis ferre queat; id quod tamen, ne lac ad aliena loca ruat, requiritur o), atque ita, cum hæc mammarum vitia nonnunquam plane non, nonnunquam tardius superentur, patet, quod ad lactis metastasin disponant.

§. XIII.

Excipiant mammarum vitia ipsius lactis vitia, jam quidem §. VI. generatim indicata, sed nunc, quatenus huc faciunt, considerata.

Lac, quo minus secernatur vel excernatur impeditum, facile aliorum aberrat, augeturque periculum, quotiescunque nimis larga copia generatur; tunc enim lac nonnunquam vasa lactifera nimis expandit vel rumpit, atque sic cancellis suis non coërcitum in mammarum cellulofam telam effunditur, vel in ipsum sanguinem redit, ferum sanguinis tenax reddit, motus febriles excitat & ad longe aliena loca morbose deponitur p). Nimis spissum lac ægre ductus lactiferos ingreditur & difficulter per tubulorum orificia excernitur, hinc obstructioni obstructioque metastasi favet. Oppositum lactis vitium, tenuitas, non æque per se matri metastasin minari videtur, sed est ea haud raro non simplex, sed cum acrimonia juncta, quæ, ut ipsa varia in lacte q) esse potest, sic

C 2

quoque

RET. l. c. §. 955. PUZOS. l. c. p. 231. *Poële* vocat, quod idem significet, quod *phlegmone*.

o) Hinc vice versa papilla bene constituta, infans nimis debilis, mammam lacte expansam haud exfugere valens, ad metastasin occasionem præbere potest, atque ideo ad eam præcavendam, ut fortiores infantes vel quoque adulti homines pro mamma evacuanda admoveantur, non sine ratione nonnunquam Medici suadent.

p) Quod ipse lactis defectus à metastaseos metu non liberet, jam supra §. IX. monui.

q) conf. GAUBIUS de Vitiis chyli, §. 323. seqq. cui lac simillimum est.



quoque vario modo nocendi potentiam habet. Poterit v. g. lac acrem mammas excoriare, tubulos lacteos erodere; poterit cum sanguine circulans pessimas febres accendere, quæ raro per salutarem crisin, nonnunquam per metastasin solvuntur, nonnunquam jugulant, cum lac insignem corruptionis gradum recipiat r) & difficulter corrigatur s). Acida præcipue acrimonia lactis caseationem producit, atque, dum coagulatum lac vasa obstruit, causa decubitus lactei fit; neque excludenda est alcalina acrimonia, quippe quæ pariter lac in grumos cogit, flavo colore distinctos t).

§. XIV.

Varia alia dantur conditiones, sub quibus in feminis lactis metastases contingunt. Juvat potiores afferre. Nova imprægnatio non semper a lactante femina impune fertur; ruit enim tunc lac ad uterum, deficit in mammis. Si jam hic affluxus nimis subitaneus, nimis copiosus est, poterit lactis ex hac ipsa causa morbosus decubitus fieri. Sed quoque morbi antecedentes gravidas, ex quacunque ratione affligentes, post partum periculosiores evadere possunt, lactis generationem, qualitatem, excretionem turbando vitiandoque. Partus ipse difficilior, multis cum laboribus peractus, puerperam ita debilitare potest, ut lac non sufficiente cum impulsu ad mammas mittatur, sed ad alium locum v. gr. uterum, præcipue si jam sub partu læsus fuerit, deponatur, ibique inflammationes suppurationesque excitet. Quæ ulcere pulmonum v. g. laborant, ad earum pulmones u) lac æque deponi poterit,

r) LEVRET, l. c. §. 886. Canes lac ex feminarum de metastasi periclitantium uberibus exsugentes perire observavit.

s) PVZOS, l. c. p. 347. *Le lait dégénéré ne connoit souvent ni remèdes ni bornes.*

t) BOERH. Elem. Chem. T. II. Lugd. Bat. 1722. p. 302. 303.

u) conf. v. g. ROEDERERI Dissertatio de temporum in graviditate & partu æstima-

ac per ulcera externa lac effluxisse observatores annotarunt. Lues venerea naturalem lactis qualitatem corrumpit, ipsasque mammas vario modo morbose afficit. Primarum viarum vitia cacochymiam x), & præcipue putridam saburram generare possunt, atque inde putridum alcalinum resorptum febres putridas accendere & lac coagulare ex notatu dignis BOERHAVII annotationibus ad mox allegatum Processum XCI. patet. Vermes, tot funestas in C. H. tragædias ludentes, in lactis quoque secretionem & excretionem anomalias procreare experientia docuit. Refert Cel. ELIAS CAMERARIUS nostras y) exemplum feminæ à vermibus sæpius abortum passæ, unde jam, quantum vermes uterum, cum eoque mirè consentientes mammas turbare valeant, concludere possis. Sed heic præcipue Cl. van den BOSCH z) in nuper demum edito egregio libro consulendus est, qui non solum in nutricibus ob vermium præsentiam lactis defectum, & iis è corpore eliminatis abundantiam lactis redeuntem, sed quoque ipsas metastases lacteas vidit, ut ideo suis copiosis &

C 3

curatis

æstimatione §. X. In opusculis medicis p. 41. *“Nollemus in phthifica & dispositione & lue nutrientis humoris penuriam quandam, sed loci potius errorem culpare. Videas sanos homines viribusque valentes, quibus nutriens latex non minus paratur, quam ad quodlibet punctum figitur; videas vicissim phthiticum, bene & pastum, & cibos digerentem, chyloque affluentem, qui tamen nutrimenti beneficiis privatur, dissipata gelatina per excernentia organa vel in ulcerosum nidum collecta.”*

x) Ill. LUDWIGII Adversaria medico-practica. Vol. I. P. I. in Præfat. p. 11. *“Puerperas, in quibus vitia diætæ cacochymiam alunt, a morbis futuris non liberavimus, sed decubitus lactis, novus morbus, non a solo lacte represso, sed ab aliis variis causis oriundus, & multiplici modo medentibus se offerens, haud exiguam difficultatem objicit.”*

y) In Dissertatione, Helminthologia intricata, Clericanis Andryanisque placitis illustrata. Tubing. 1724. p. 6. & 7.

z) Historia constitutionis Epidemicæ Verminosæ. Lugd. Batav. An. 1769 p. 201 — 220.



curatis observationibus hæc duo huc spectantia porismata subjungeret:


- 1) *“Verminosa vitia, ob alvinas contentiones, facilimas ad caput metastaticas depositiones atque alia pessima symptomata in puerperis ad lactis secretionem & uterinas evacuationes impediendas & alvi fluorem inducendum valde metuenda sunt.*
- 2) *“Lactis in sanguinem repulsionem nullibi fere crebriores, quam in puerperis, mucoso-verminosa febre prehensis, contingunt.”*

§. XV.

Denique sic dictas res non naturales metastaseos lacteæ producendæ occasionem præbuisse Medici animadverterunt. Ingesta cruda, incongrua, digestionem pravam chylumque vitiosum efficiunt, unde necessario lac à sua naturali qualitate & mixtione §. XIII. recedere debet. Ipsaque nimia assumptorum ciborum quantitas, si quoque bene concoquantur, lædit nimiam lactis copiam generando, quæ, si forte non rite excernatur, metastaseos causa fit, toties ditiores gulofasque infestantis & contra rusticis feminis sobrie viventibus parcentis. Nocebit hoc respectu quantitas eo facilius, si assumpta particulis multis bene nutrientibus atque ita galaëtopoiesi faventibus abundant. An itaque laudandi, an potius culpandi, qui puerperas carniū jusculis & gelatinis per totum diem replent? An tuenda, annon exhibilanda potius præjudicata sat ridicula opinio, quæ, scopo lac diminuendi lac bibere jubet, atque lac lacte fugari tradit a)? Me non monente, intelligitur, alias excretiones auctas ad lactis metastasin occasionem dare, secundum istam notissimam regulam: Una secretionem vel excretionem aucta altera imminuitur. Hinc

v. g.

a) LEVRET Essai l'abus des règles générales, & contre les préjugés, qui s'opposent aux progrès del'art des accouchemens, Art. X. p. 259. seq.



v. g. in puerperis suborta diarrhoea, ipsa quoque lactea observata, mammae nonnunquam subsidunt & lac fundere cessant. In nutricis mammis lac deficere ANDRY *b)* observavit, cum eadem lactescentem urinam redderet. Aberrat itaque lac in his & similibus casibus à suo à natura destinato loco, ruitque cum aliis humoribus ad alia loca. Retentæ excretiones, uti vario modo œconomiam animale turbant & humorum crasin corrumpunt, quod etiam lac vitare valeant, neminem putem dubitare. Præsertim heic lachiorum vel suppressus vel nimis parvus fluxus in censum venit. Etenim post partum lochiis non fluentibus plethoræ puerperæ non minuitur, violentior febris accenditur, omnis humorum quantitas ad mammam propellitur, quæ, si ex quacunque causa secretionem & excretionem lactis non admittunt, frequentius funesta mala sequuntur, imprimis, si nulla excretionem vicaria v. g. sudoribus, aliâs quoque haud raro febrem lacteam ordinariam solventibus, naturæ satisficit.

Annotant plerique auctores, plures puerperas è tenellis, lautam otiosamque vitam degentibus, perire: sed contra pauperes, *μυδαρνας*, rusticas, laboribus adsuetas feliciora agere *c)* puerperia. Erit itaque quoque nimia quies inter causas referenda, quæ feminas ad morbos disponunt atque eatenus occasionem metastaseos lacteæ præbere possunt. Sed quoque vicissim vigiliæ nimix, curæ, defatigationes, lactis secretionem & excretionem pervertunt *d)*. Quod animi pathemata lac morbosum efficiant, ejus generationem impediunt, generatumque dissipent, ostendit GUTERMANN *e)*, habentque Acta Harlemensia *f)* exemplum

b) De la Generat. Desvers. 1701. p. 82 & 83.

c) WILLIS. l. c. p. 128.

d) van den BOSCH. l. c. p. 217.

e) in Diff. de Mammis & Lacte. Præside ZELLERO. Tub. 1727. p. 25. §. VIII.

f) Part. III. p. 31.



plum feminæ, cui, subito terrore percussæ, lac in mammis coagulabatur; atque refert Puzos l. c. pag. 372. observationem lactis post terrorem in cavitatem abdominis effusi. Aër frigidus, imprudenter admissus, frequenter male mulctat lactantes feminas g), lac reprimendo vel quoque in mammis coagulando. Hinc SYDENHAMI aliorumque consilia haud inania sunt, ut puerperæ non nimis cito lectum relinquunt, neque aëri liberiori se exponant. Dum autem aërem frigidum culpo, non ideo regimen nimis calidum vel laudo vel suadeo, mecum convictus, inde facile exanthemata miliaria, quæ LEVRETUS l. c. p. 169. quoque lactea vocat, produci posse. Sed quoque aliæ aëris constitutiones puerperis nocere possunt. Huc refero istam epidemiam a MALOUIN Parisiis Anno 1746 observatam, adeo puerperis infestam, ut in nosodochio *Hôtel-Dieu* ex viginti vix una evaderet. Puerperis hisce, quamvis facile enixis, lochia non fluebant, mammæ flaccidæ post tertium quartumve à partu die pendebant, atque in cadaverum abdomine lac & coagulatum & serosum deprehendebatur h)

§. XVI.

Ex hætenus dictis fatis variæ metastaseos lacteæ causæ intelliguntur. Nunc ipsas metastases & morbos speciales exinde oriundos propius considerabo. Si lac e sanguine non fecernitur, vel e mammis denuo in sanguinem refluit, febres provocantur, quæ variæ indolis esse

g) LEVRET l'art des accouchemens. p. 351. "Le froid est la cause la plus ordinaire des infiltrations laiteuses. Cet accident arrive rarement avant le douzième ou quinzième jour de la couche. Alors on est dans l'usage, de permettre aux femmes de mettre les pieds à terre.,,

h) conf. Histoire des maladies epidemiques de 1746. observées à Paris, en même têmes, que les differentes temperatures de l'air. Par Mr. MALOUIN. In Memoir. de l'Acad. Année 1746. Edit. Amst. p. 234.

esse possunt, cum sic humorum per vasa sanguifera circulantium peccans abundantia adsit, cum lac cum sanguine mixtum & circumactum varia vitia contrahere, ipsumque sanguinem diversimode corrumpere queat. Verum has omnes febrium puerperis lactantibusque contingentium complicationes heic enodare, non est mearum partium; sunt hæ febres, variis nominibus a diversis auctoribus insignitæ, sæpe causa metastaseos. Metastasin ipsam autem tunc demum adesse dicimus, quando materia lactea e sanguine secessit, atque ad alia, quam lege naturæ præscripta, loca aberrat. Neque possum lac cum sanguine mixtum, & per vasa sanguifera circulans aberrationis accusare, quippe quod quoque secundum naturam fit; hinc hæ febres, quamvis lactis culpa vel excitatæ, vel peiores redditæ, non sub supra §. VII. data metastaseos lacteæ definitione comprehenduntur, sed admittuntur tanquam haud infrequens causa, nonnunquam quoque tanquam effectus metastaseos lacteæ.

febris

§. XVII.

Lac morbose ad varia loca defertur, atque, ut aliquem dicendorum ordinem habeam, incipiam a capite, progrediar ad collum, dorsum, pectus, abdomen, extremitates, & desinam in superficie cutis.

Lochiis retentis & sanguine encephalum obruente mala funestissima instare, frequentius Auctores annotarunt. Sed similia quoque accidunt lacte repulso, vel in mammis plane non secreto, & ad cerebrum deposito. Ipsam mortem subitanam exinde subsequi, refert DAVID. i). Apoplexiam a metastasi lactea ad cerebrum factam, & ipsis dissectionibus cadaverum confirmatam pulcre nobis LEVRETUS l.c. Sect. III. §. 874. seqq. describit. Invadit eadem puerperas tempore febris lacteæ lochiis

i) l. c. p. 70.



chiis parce fluentibus & lacte ad mammas non delato. Præcedunt plerumque animi perturbationes & anxietates, horripilationes in cute capillata, deliria, capitis dolores, balbuties, aurium tinnitus, coma, stertor, risus sardonius, tendinum subsultus. Sed quoque nonnunquam talis apoplexia serius infestat, ipsis lochiis ritè profluentibus, quamvis pariter periculi plena sit, non tamen tam rapida violentia trucidat *k*). Apoplexiam lacteam nonnunquam excipit paralyfis. Aliàs decubitus lactis in cerebro maniam, quam ideo SAUVAGESIUS lacteam *l*) vocat, producit. Aggreditur nempe secundum hunc eundem Auctorem & PUZOSIUM *m*) feminas circa decimum vel decimum quintum à partu diem febris cum delirio; cessat postea sat cito febris, sed perseverat status maniacus, difficillime medicamentis superandus. Quando autem hi Auctores decimum vel decimum quintum diem nominant, non ideo existimandum, quod talis decubitus nunquam tardius accidere queat. Ipse PUZOSIUS l. c. p. 300. tricesimo quoque die observavit, atque ipse, cum mihi adhucdum Nürtingæ commorato ex sat ampla praxi Optimi & Venerandi Patris frequentius notabiliores casus offerrentur, similem metastasin in lactante femina octava à partu hebdomade vidi, quæ, partu puerperioque rite absoluto, lignorum colligendorum gratia sylvam petiit, ibique usque ad vesperam commorata, absurda, anxiosa, delirans deprehensa fuit. Redux mammas ineptè infanti porrexit, quas ipsas tamen infans ab aliquot diebus minus avide arripuit. Noctem sine somno loquax & querula transegit & sequenti die, quo ipso mammarum curatius examinatarum pendularum omnique lacte evacuatæ reperiébantur, furor maniacus per sex hebdomades perdurans accessit.

Alias

k) LEVRET. §. 883.

l) Nosol. method. T. III. P. I. p. 405.

m) p. 388.

Alias feminas, præsertim nutrices, quæ lac imprudenter repellunt, lacte ad caput congesto & intra cerebri membranas effuso, cephalalgia vix tolerandæ excruciant *n*), quæ nonnunquam per longius tempus sævientes surditatem cœcitatemque post se trahunt. Caliginem lacteam puerperæ, cujus lac repressum fuerat, à lactis in camera oculi antica collectione ex HAGUENOTI observatione recenset SAUVAGESIVS *o*), & Epiphoram à lacte ex oculis effluente inductam *p*). An Amavrosis quoque à metastasi lactis datur? Amavrosin gravidarum & suppressione menstruorum vel hæmorrhoidum laborantium annotat SAINT-YVES *q*), eandemque ab humore nervum opticum comprimente derivat. Similem effectum posset quoque lac ad nervum opticum depositum facile producere. Denique, ut prioribus observationibus hanc quoque sat notabilem à NUCKIO recensitam addam, lac quoque ad os è mammis delatum fuit: „*Femina, inquit NUCKIUS r*), *lactans gravida iterum fit & ideo puerum ablactat; exsuctricem negligenti mammarum dextra in insignem tumorem abit, & brevi post, nocte quadam, copiosum lac cum dolere in os profilire sentit, cum subitanea mammae dextrae tumescentia.*“

§. XVIII.

Ad glandulas axillares lac, quod intra mammas distentas per vasa lymphatica resorbetur, defertur; verum hæ ipsæ glandulæ a crassiore lacte obstruuntur, tumentque *s*), lacteo humore intra ipsarum cellulosam effuso, similisque tumor nonnunquam, referente

D 2

ASTRU-

n) PVZOS. p. 234. 350.

o) Nosol. method. T. II. P. II. p. 259.

p) Nosol. T. III. P. II. p. 236.

q) Nouveau traité des maladies des Yeux. à Paris, 1722. p. 343.

r) Sialographia & ductuum aquosorum anatomia nova, p. 50.

s) conf. HUNTER in comment. medicis, ubi, uti ex Ill. VOGELII bibliotheca nova medica. Vol. V. p. 193. colligo, talis observatio habetur.



ASTRUCIO *t*) usque ad collum quasi œdematosum inde factum cum dolore se expandit. In dorso ablaçtantis feminae Illustr. de HAEN metastaticum tumorem vidisse supra §. X. annotavi. Ad pectus lacte aberrante PUZOS & pleuritidem spuriam l. c. p. 373. & pleuroperi-pnevmonias l. c. p. 374 & 375 observavit, atque LEVRETUS, qui hos acutos pectoris morbos pariter vidit, eo minus dubitat eos lactis metastasi tribuere, cum (l. c. §. 893.) eodem tempore flaccidas & lactis expertes mammas deprehenderet, & contra, mammis lacte denuo turgescentibus, ægrotas cito sanitati restitui experiretur. Exterius in pectore utrinque mammae protuberant non à metastasi vel decubitu lactis morbofo immunes, quamvis secundum naturam lac ad eas deferatur, sed eo fine, ut libere per canales fluat & excernatur. Quotiescunque itaque lac vel ob nimiam copiam vel ob obstructos vel alio quocunque modo vitiatos canales, urgente à tergo insequentis undæ impulsu, exitum non inveniet, aberrabit in ipsis mammis & effundetur aut in cellulofam, totam mammam circumdantem, efficietque magnum universalem fat æquabilem tumorem; aut tantummodo in cellulofam singulis glandulosis racemis acinisque sese interferentem, atque producet separatos inæquabiles tumores nodosque; aut denique utrumque conjunctum vitium exinde exsurget. Hi decubitus lactei ad mammas fat noti haud raro varia deploranda mala inducunt, atque frequentius occurrunt ex diversis causis, quas supra nominavi; heic autem eorum differentiam potius à loco, in quem lac aberrat, quam à causis desumptam, indicare volui.

§. XIX.

Abdomen metastasis lactea vario modo infestat. In Actis Parisi-nis habetur exemplum hydropis *u*) lactei inter musculos abdominis & perito-

t) l. c. T. V. p. 435.

u) Memoir. de l'Academ. des Sciences, 1728. in 8vo. p. 585. hydropisie laiteuse.

peritoneum formati, quo puerperæ, primis diebus puerperii acute febricitanti, abdomen post tres septimanas fere ad æque magnum volumen expansum fuit, ac tempore graviditatis, donec tandem, sponte rupto umbilico, insignis quantitas fœtidi humoris seroso-lactei profunde-
batur. Scilicet in tela cellulosa peritonei, musculos abdominis respiciente, ex observatione NUCKII plurima adsunt vasa lymphatica; potuit itaque per hæc ad illam lac è mammis repulsum deferri, quod dein, mora & ipso febrili calore acre fœtensque redditum, fibras cellulosas cor-
rosit, novoque semper affluxu humorum accedente sibi quasi spatium inter peritoneum & musculos atque denique per umbilicum exitum para-
vit. Plane similem a lacte extravasato ortum abdominis tumorem, qui, disrupto umbilico, ultra duas mensuras materiæ lacteæ fudit, Cl. BIK-
KER x) refert; atque ipse honestam feminam nominare possem, cui in primo puerperio mamma apostematosa in suppurationem abiit, ut ideo non lactaret, atque postea sub nova graviditate lacteus humor ex umbilico effluxit, nullo intra mammæ lacte generato. Intra cavum abdominis lac ad varia loca deponitur. In ipso cavo effusum & ad
exteriorem intestinorum partem adhærens, erat in supra citata epide-
mia Parisina. Quod ad renes aberret, eo minus dubitandum, cum nrina lactea sæpius visa sit (conf. §. XV. & §. IX. not.), atque hinc quo-

D 3

que

x) l. c. p. 212. 213. "*Een Vrouw, door een mayëlycke verlossing zeer verzwakt, was de twaalf eerste dagen ziekelyk, kwynende, en koortzig. Het zog kwam niet in haare Mammen te vorschyn; maar zy klaagde ower Zwelling van den Buik, die zoo aanmerkelyk werd, als of zy hoog zwanger waar. Omtrent vier Weeken na de verlossing begon de buik pynlyk te worden, en dit nam zo toe, dat zy goed vond den Heelmee-ster te haalen. Hy plaatste op den zelven een weekmaakende en pynstil-
lende Pap. Drie dagen daarna ontdekte hy in t'midden van den Buik onden den Navel een verstorven Korst. Deeze Korst brak van zelfs door, en daarop volgde een zeer groote ontlassing van Zogstoffe, en ten deele vloeibaar, en ten deele met klonters of geronnen brokken.*"



que SAUVAGESIUS *y*) nephralgiæ mentionem faciat ab urina crassa lactea oriundæ. Ad intestinorum cavum ruens lac diarrhœam lacteam inducit, cujus sat evidens exemplum cum mammaram detumescencia STORCHIVS describit *z*). In gravido utero lac pro nutriendo fœtu adesse supra adstruxi. Sed quoque ad virgineum uterum lac e mammis repulsum affluere, honestæ, non menstruatæ virginis historia *a*) ostendit, quæ cum mammis intumescens & lac fundentibus emplastrum de spermate Ceti imponeret, menstrua vere lactea perpessâ est, atque sic simul suo exemplo & HIPPOCRATICI effati veritatem: "*Si mulier, quæ neque gravida est, neque peperit, lac habeat, huic menstrua defecerunt b*), & lactis mammarii metastasin ad uterum demonstravit. In puerperis, quibus laxior & mollior est uterus, facilius lac ad uterum derivabitur, & revera Medici sunt, qui ipsa lochia albida pro lacteo humore, non pro materia purulenta habent *c*). In tela cellulosa, qua peritoneum vertebrae & pelvi posterius adnectitur, lac frequenter effunditur. Nascuntur hinc a lacte aberrante tumores, qualem in regione renis Puzos p. 384. descripsit, vel quos LEVRETUS in cellulosa inter peritoneum & pelvem vel inter muscolum psoam & iliacum vel inter duplicaturam ligamentorum latorum annotavit. §. 927. atque, cum feminae per validos in partu nifus ligamenta, musculos & nervos ad spinam dorsum lumbarem, & conjunctas cum osse sacro coxas vehementer tendant, ex hac ipsa causa existimat Ill. LVDWIGIUS *d*) decubitus lacteos crebrius ad spinam lumbarem & inferiores extremitates, quam aliis in locis oriri.

§. XX.

y) Nosol. Method. T. III. P. I. p. 271.

z) *Weiber-Krankheiten. VI. Band. p. 608.*

a) PAULINI Observ. Cent. I. Observ. VI. p. 39.

b) Aphorism. L. Sect. V.

c) LEVRET l. c. §. 88. Alteri sententiæ tamen magis favere videtur Ill. v. SWIETEN. T. IV. p. 609.

d) Adversaria Pract. Vol. I. P. IV. p. 728.

§. XX.

Tela cellulosa pelvis communicat cum tela cellulosa femoris atque maxime ibi, ubi vasa cruralia sunt, copiosa & laxa est; inde apparet, quomodo humor lacteus ad pelvim depositus ulterius progrediatur, & primo femur, dein semper magis magisque a parte superiore ad inferiorem descendendo totum pedem occupet, atque ita œdematosum tumorem ab œdemate lymphatico per suos characteres probe distinguendum excitet. Uti ad ipsam pelvem; ex collatis observationibus, frequentiores sunt lactei decubitus, sic quoque in femore haud raro se manifestant; rarissime tamen simul utrumque femur tali lacteo tumore inflatur. Sed contra, tentata in uno femore discussione, sæpius ad alterum femur tumor metastaticus transfertur.

Decubitus lactei ad digitos pedum manuumque, quin quoque ad totam cellulosam, quæ sub cute exstat, hydropis *αινα σαρχα* ad instar, Puzos p. 393. & 394. mentionem facit.

§. XXI.

An denique lac quoque ad superficiem cutis aberrat? Quod sudores verè lactei observati fuerint, dubitat, Ill. v. SWIETEN l. c. p. 609. at tamen frequentissime febris lactea per sudores terminatur, ut ideo aliquam lactis partem per cutem excerni, existimare possis. Dein ipsa ista exanthemata miliaria in puerperis frequentissime observata quodammodo lacti, quippe quod in vascula minima cutanea delatum quidem, nimis tamen spissum esse possit, quam quod per eorum ostiola exhalet, tribuenda esse videntur. Hinc SAUVAGESIUS l. c. T. II. P. I. p. 401. de febre miliari lactea, & LEVRETUS l. c. p. 169. de exanthematibus lacteis agunt, quarum prima species, ex hujus sententia, se distinguit pustulis albis, non crystallinis, acicularum capita æquantibus, tempore febris lacteæ cum pruritu prodeuntibus, & dein furfuracea quasi cutis desquamazione post octo decemve dies evanescentibus; altera species

pustu-



pustulas habet majores ad similitudinem variolosarum accedentes, quæ diutius in cute subsistere, nullas tamen cicatrices post se relinquere, & minus periculosæ esse solent; tertia denique cognoscitur maculis vel papulis irregularibus paululum super cutem eminentibus, prurientibus, suppurantibus, confluentibus, sed cuti nullum vestigium imprimantibus.

§. XXII.

Hi fere morbi sunt, quos errori lactis adscriptos apud diversos auctores hæctenus deprehendere potui; atque cum, eos ipsos variæ indolis & naturæ esse, ex præmissis sufficienter pateat, ii quoque vario modo dignoscuntur. Nonnunquam metastasis lactis ex ipso primo intuitu, dum lac alieno loco effluit, v. g. in diarrhœa lactea, in nephralgia ob urinam lacteam, in epiphora lactea, nonnunquam paululum difficilior diagnosis est. Si lac ad partes interiores, ad spectui subtractas, ruit, novimus per symptomata consueta v. g. apoplexiam, maniam, cephalalgiam, peripnevmoniam, pleuritidem adesse, atque hos morbos a lactis metastasi suam trahere originem judicamus, quoties lac in mammis non secretum vel excretum est, vel ex iis pendulis & flaccidis factis denuo in sanguinem regurgitavit, quin quoque tunc, quando

interdum docta plus valet arte malum,

lactis metastasis confirmata est per cadaverum sectiones, quales antea passim annotavi, & quibus adhuc aliquæ ex Josephi LIETAUD opere e) addi possunt. Intra pelvem, dum deponitur lac, præcedunt motus febriles, horripilationes, sentitur dolor, sed ex ejus regionis dolore

e) Historia anatomico-medica, sistens numerosissima cadaverum extispicia, quibus in apicem venit genuina morborum sedes, horumque referuntur causæ, vel patent effectus. Auctore Josepho LIETAUD. Parisiis, 1767. T. I. L. I. Sect. XII. p. 318. & T. II. p. 362.



dolore solo, quippe qui in puerperis, in gravidis, in lactantibus vel ab lactantibus ex multifariis causis ibidem excitari potest, non sufficienter facta metastasis cognoscitur; docemur autem a LEVRETO *f*), eam adesse, quando ægrotata dolorem circa inguina, pondus in pelve & debilitatem femorum percipit; si in dorso decumbens majorem sentit molestiam femoribus extensis, quam flexis, quia tumor lacteus musculum iliacum & psoam premit; necnon si fasciculus vasorum cruralium dolet, in quo tangentis manus haud raro parvos tumores offendit. Denique lacteus tumor in femore non solum exinde distinguitur, quod plerumque decubitus lactis in pelve antecedit & tumor à parte superiore versus inferiorem serpendo extendatur. Sed generaliter tumor è lacte in telam cellulosa sub cute effuso ortus magis opacus est, dolet præcipue in initio & intra breve tempus formatus, prementique digito magis resistit, quam lymphaticus.

§. XXIII.

Prognosin de lactis metastasi faciendam causæ, subjectæ, concomitantes supervenientes morbi vario modo alterant: intelligimus tamen facile, minus periculum instare, si in subjecto sano, vegeto, fluentibus lochiis, materia lactea per mammas non fecernitur & excernitur, & vel nullam vel vix sensibilem febrem excitat; sed contra, quando lactis in minimis defectus stipatur febribus vehementioribus, inflammatoriis, malignis, præsertim suppressis simul lochiis, tunc haud inanis metus nos angit, ne illud ad varia viscera ruat & ibi vel in minimis vasculis impactum, vel in interstitia cellulosa effusum stagnet. Spes salutis erit eo minor, quo nobilior pars est, quam infestat; affulget contra aliqua spes, si lac denuo ad mammas redit vel alia critica excretio per alvum, urinas, sudores accedit; hinc quoque hoc respectu non omnis diarrhœa in puerperis pro perniciosa habenda est, uti dudum monuit Illustris de HÆNG) de diarrhœa puerperarum, quibus lochia non fluunt. Verba ejus omnino quoque, mutatis pro materia substrata mutandis, huc quadrant: „In Batavis puerperis, inquit Venerandus Præceptor, *observare aliquoties contigit diarrhœam pro lochiis; perniciosa hæc in genere credita, tamen plures in vita servat, si vires bene conservantur. Est revulsio hæc materiæ* ab

f) l. c. §. 928. seq.

g) Theses pathologicæ de hamorrhoidibus, p 76.



ab utero inque intestina derivatio, bona respectu interitus alioquin ex suppressione oriundi; at vero ideo hanc puerperarum diarrhæam non laudamus, ut salubrem evacuationem, sed consideramus ut minus malum, quo quidem mors sæpius præcaveatur h), sed nonnunquam tamen acceleretur“. Tempore puerperii lactis errores ob varias complicationes quam maxime perhorrescendi nos quam maxime sollicitos reddunt. Tempore graviditatis & post puerperium nocent, sed tamen non tam cita & inopinata morte jugulant, tunc enim non tot aliarum caussarum morbificarum concursus adest; decubitusque ex observatione auctorum sæpius in tela cellulosa fiunt, partes tantummodo externas v. g. femur occupando, quorum resolvendorum spes est; quamvis etiam in ulcera mali moris, in fistulas, in ipsam gangrænam abiisse & in mammis exitialis cancri producendi occasionem dedisse observati sint.

§. XXIV.

Cura medici circa metastasin lacteam est vel prophylactica vel therapeutica. Ut medicus à metastasi lactis feminam præservet, debet eam, quid agendum, omittendum, evitandum sit i), docere; debet ipse causas, quibus corpus ad metastasin prædisponitur, remove atque corrigere. Nominavi supra hæc diversas causas, neque hujus est loci, ut ostendam, quomodo singulis occurrendum sit. Intelligitur hoc ex doctrinis, quæ in libris medicis & chirurgicis ubique occurrunt, & quas heic cognitas omnino suppono; erit scilicet abundantia v. g. lactis minuenda, diæta tenuissima, auctis aliis evacuationibus, Venæ sectione, suctione forti; spissitudo lactis erit per attenuantia, diluentia; tenuitas per incrassantia; acrimonia per medicamenta specificæ acrimoniæ opposita, acida, alcalina, corrigenda. Erunt mammarum vitia mutanda, quantum per artem & tempus licet; hinc obstructions tubulorum lacteorum referendæ sunt, exulcerationes sanandæ, papilla retracta producenda &c. Sed nolo hisce immorari; id potius quæro, quid medicus jam imminente seu fienti, quid jam factæ metastasi opponere debeat? Si lac non in mammis secernitur, sed cum

h) PLANCHON puerperam acute febricitantem lactea-diarrhœa suborta adjuvari vidit in Journal de Medecine T. XXIV, cujus libri recensione in Comment. Lips. T. XVI. P. I. p. 78. utor.

i) conf. v. g. Johann Erikerichs Zuckerts Diet der Schwangeren und Sechswöchnerinnen.

sanguine mixtum manet, tunc, nulla febre urgente, lochiorum fluxum prudenter promoveri sufficit; sin vero vasa nimia plethora turgent, febris lactaria diutius duret, gravior fiat, lochia supprimantur, tunc temperantia antiphlogistica exhibenda, Venæ sectio administranda, excretionisque aliæ per medicamenta laxantia, divretica, sudorifera, emmenagoga, quæ medicus pro ratione circumstantiarum & dispositionis individualis eligere sciet, promovendæ sunt. Quando autem jam signa habentur, lac aberrans invadere partem quandam nobiliorem v. g. cerebrum, quod cognoscimus ex dolore capitis, ex delirio &c. (§. XVII.) tunc ter, quater, quin sexies intra breve tempus repetitis Venæ sectionibus aliquid boni nonnunquam Puzosius præstitit; propinato simul potu diluente, resolvente, in quo Arcanum duplicatum dissolvit, quod ipsum sal Galli præ reliquis mirum in modum in his casibus laudant. Videntur hæc Puzosii observationes docere, & tuto & necessario in puerperis quoque *k*) Venesectiones institui, atque existimo, in his ipsis casibus clysmata & vesicatoria bono cum effectu adhiberi posse, quibus ipsis interdum malum imminens à loco periculosissimo averteretur. Decubitus in partibus interioribus jam factus pariter requirit Venæ sectiones, & dein evacuationes frequentes, qua ipsa methodo Puzosius feminam ex decubitu lactis ad cerebrum maniacam factam post tres menses restituit. Si decubitus in parte externa v. g. femore, est, poterunt topica simul applicari, ad resolutionem tentandam; quem in finem Ill. v. SWIETEN fomenta ex lacte & sapone, CHOMÉL *l*) ex infuso persicariæ & absinthii cum Sale ammoniaco facto, & LEVRETUS cataplasma ex mica panis, lacte, vitello ovi, croco, oleo liliorum alborum & Sale Tartari adhibuerunt; atque eodem modo mammarum a lacte effuso tumor per emplastra varia resolventia, vel quoque ope embrocationis cum aqua, in qua sal alcalinum dissolutum est, discutendus est; id quod si ars non valet efficere, varia alia mala subsequi solent, de quibus in libris chirurgicis dispiciendum est. Lactatio, uti quam plurimas puerperas a metastasi lactea tutas præstat, sic quoque

tunc

k) Conf. Franz Jacob Arands Rettung der Kindbetterinnen, gegen die Vorurtheile von der Schädlichkeit der Aderlasse. §. 10.

l) Memoir. del'Acad. des Sciences. 1728. in 8vo. p. 597.



tunc non negligenda, sed potius commendanda est, quando mammæ, vel lacte diftentæ morbose turgent, vel quando flaccidæ lacte carent; referat enim succio obstructos tubulos excretionemque juvat; eademque lac, vel e sanguine non secretum, vel in eum refluens, ad mammas determinat, & ab alienis locis, in quæ forsitan deponeretur, quasi revocat manifesto cum ægotarum emolumento. Si exanthemata quoque miliaria ex lacte nonnunquam oriri assumimus, ea tractanda erunt, uti febris miliaris *m*). Monendum tamen, quod sæpius diutius in cute subsistant, sine ulla animadvertenda febre, sed tunc quoque nulla medicamenta requiruntur, sed caveat tantummodo puerpera, ne nimis calido regimine continuo sudores proliciat, alias vix liberabitur; vel quoque assumat roborantia, nimios sudores moderantia. Denique sat singularis, & notatu digna observatio est Puzosii, quod nova imprægnatione in femina quadam œdema lacteum digitorum pedum manuumque, & in altera paralysis ex apoplexia lactea secuta, frustra antea variis medicamentis adhibitis, curata fuerint.

§. XXV.

Possent nunc metastasin lactis cum lochiorum suppressione vel repressione comparare, vel ad varias quæstiones, quæ se mihi hæc scribenti sponte obtulerunt, excurrere; v. g. an revera Galli primi ad lac loco aberrans attenderint? an ideo alii medici, ante scripta Gallorum in lucem edita, hanc lactis metastasin ignorantes, infelices Practici fuerint? an adhuc infeliciores ægotæ ipsorum curæ commissæ? an potius alii medici hos morbos a lacte aberrante oriundos simul sciverint & nesciverint? Verum hætenus prolata pro præsentis scopo ad hancce materiam dilucidandam sufficient.

m) Lacteis exanthematibus jam prostantibus, ægotæ, præsertim quando cerebrum simul affectum esse ex deliriis cognoscitur, Venæ sectionem non ferunt, sed potius citius pereunt. LEVRET Essai sur l'abus &c. p. 218. 221.

